



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 3. Vtrum si homo non peccasset, Deus Incarnatus fuisset.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Christus
perfecte
satis fecit
pro homine
lapso.

35

Sequitur nunc altera propositio probanda, nempe Deum hypostaticè vnitum creaturæ rationali, potuisse secundum exactam iustitiam satisfacere.

Probatnr Primò ex Patribus, ad priorem propositionem num. 26. allatis; & ex Doctõribus, qui ferè omnes ita sentiunt in 3. dist. 20. & in 4. dist. 15. docet hoc etiam Ioan. Driedo lib. de captiuitate & redemptione generis humani, tract. 2. cap. 2. §. 4. Andreas Vega. lib. 7. in Concil. Trident. c. 8. Dominicus Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 6.

Probatnr Secundò ratione: In Christo enim erat tanta dignitas, quanta in Deo offenso; & res oblata in satisfactionem, erat infiniti pretij. Imò, maior erat honor, qui exhibebatur Deo per Christum; quàm inhonoratio & iniuria illata omnium hominum peccatis. Vnde etiam Deo erat grator, quàm omnium peccata sint illi iniusta. Satisfecit etià ex proprijs, & alijs indebitis: ergo satisfactio erat secundum leges exactæ iustitiæ.

Dices Primò, Christi actiones erant creatæ, & proinde finitæ perfectionis: ergo non erant infiniti pretij, vt possent ad æqualitatem innumeris hominum peccatis rependi. Ob hoc argumentum Scotus in 3. dist. 19. & 20. putat Christi actiones non fuisse ex se sufficientes hominum peccatis exhauriendis; sed solum ex acceptatione diuinâ hanc vim habuisse. Verùm hoc omninò falsum esse ostendimus infra quæst. 19. tract. de merito Christi. Vnde Respondeo; Etsi erant finitæ perfectionis in ratione entis, & actionis perfectionis que realis; tamen erant infinite in ratione meriti & satisfactionis; idque ratione personæ operantis. Nam ratio meriti & satisfactionis, est morale quiddam, non realis conditio operis.

Dices Secundò; Christus alijs titulis debebat omnia sua opera, nempe titulo gratitudinis pro beneficijs à Deo acceptis: ergo tertia conditio deerat. Ob hoc argumentum Durand. in 3. dist. 20. quæst. 2. & in 4. dist. 15. quæst. 1. putat Christi opera, non fuisse sufficientia ex se, ad redimenda omnia peccata; sed solum ex acceptatione diuinâ; in quo consentit cum Scoto, quamuis alio fundamento nitatur. Ratio Durand. est. Quia, inquit, non poterat Christus satisfacere pro beneficijs acceptis, maximè pro gratiâ vnionis; ac proinde non supererat illi quidquâ, quod posset pro hominum peccatis expendere, nisi Deus ex misericordiâ acceptasset. Sed hæc sententia etiam omninò falsa est, vt infra dicitur.

Vnde Respondeo, Christi opera fuisse sufficientia vtrique debito, cum essent infiniti pretij. Deinde, debitum illud gratitudinis, non repugnat debito iustitiæ; vnde per idem opus, vtrique potest satisfieri. Adde, ipsi personæ nullum fuisse collatum beneficium, nisi ratione naturæ humanæ per communicationem idiomatum: vnde ipsa in se non habebat vllam obligationem etiam gratitudinis; ac proinde non impediatur à satisfaciendo.

Dices Tertiò, Si Deus vnitus humanæ naturæ, potuit redimere genus humanum satisfactione perfectæ iustitiæ; ergo etiam non vnitus. Patet consequentia; quia nihil potentie, illi per vnionem accessit.

Respondeo Negando Consequentiam: Etsi enim per vnionem nihil absolutæ potentie ac-

cessit; tamen accessit vt posset tali modo, scilicet, merendo & satisfaciendo; quod in Deum purum cadere nequit: quia requirit naturam creatam, quæ non omne bonum naturaliter contineat.

Dico Secundò, Vt reparatio humani generis, fieret non solum secundum perfectam iustitiam, sed omninò modo conuenientissimo, qui posset inueniri; necessarium erat vt Filius Dei fieret homo. Ita D. Thomas hoc loco. Ratio est: Si enim assumpsisset naturam Angelicam, potuisset quidem redimere satisfactione perfectæ iustitiæ, non tamen alias vtilitates, quæ hic commemorantur, nobis acceruisset. Quas vide apud D. Thomam.

ARTICVLVS III.

Utrum si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset?

Respondet Diuus Thomas negatiuè, Quia vbique sacra Scriptura (intellige & Traditio) rationem huius mysterij ex peccato assignat; nec aliunde potest nobis innotescere: ergo si peccatum non fuisset, Deus incarnatus non fuisset. Circa Responsum ad Secundum, Notanda hæc propositio: Ad perfectionem vniuersi secessit, quod naturali modo creatura ordinetur in Deum, sicut in finem: vbi, per naturalem modum, intellige vires operatiuas, habitus & operationes, siue illæ naturales sint, siue supernaturales. Etsi enim dona gratiæ, quibus Angeli & homines in Deum ordinantur, sint supernaturalia; tamen hæc naturali modo ordinantur in Deum: modus enim naturalis creaturæ tendendi in Deum, est per habitus & operationes, ipsâ potentia naturali, suo naturali influxu concurrente. Ordinatio autem in Deum per vnionem hypostaticam nullo modo est naturalis, quia naturalem modum non imitatur. In Responsum ad Quartum, Nota: Prædestinatio, inquit, præsupponit præsentiam futurorum. Quod intelligi potest, vel de præscientiâ conditionatâ, quæ toti prædestinationi supponitur: vel de præscientiâ absolutâ; quæ non toti, sed parti supponitur: nam prædestinatio vt se extendit ad effectus posteriores, siue gratias Dei, supponit præscientiam priorum; vt patet ex tractatu de Prædestinatione.

Verùm vt hic Articulus meliùs examinetur; Notandum est esse duas de hac re sententias. Prior est, Deum futurum hominem, etsi homo non peccasset; idque ob causas, quæ per se huic mysterio insunt: quia videlicet, Incarnatio Dei, per se conueniens erat bonitati diuinæ; perfectioni vniuersæ creaturæ; & subiectioni, exaltationique generis humani, vt dictum est art. 1. dub. 1. Hanc tenet Rupertus lib. 13. in Matth. de gloria & honore filij hominis. Et lib. 3. de processione Spiritus sancti cap. 20. Alexander Aletius 3. parte quæst. 2. memb. 13. Albertus in 3. dist. 20. a. 4. Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 19. qu. vnica. Dionysius Carthus. in 3. dist. 1. quæst. 2. Inclinat in eadem Albertus Pigius lib. 8. de libero arbit. cap. 10. Ambros. Caterinus opusculo de eximiâ Christi prædestinatione. Ioannes Viguierus in institutionibus Theologicis cap. 20. in principio; & apertius

36

37
Negat D.
Thomas.

38
Quidam
affirmant.

1. Obiectio
Scoti.
Quod
Christi
actiones
essent fini-
tæ per-
fectionis.

Distingui-
tur.

2. Obiectio
Durandi.
Quod ef-
fens debita
tulo gra-
titudinis.

Refellitur
& explica-
tur.

3. Obiectio
ex absurdo.

& apertius §. 1. versiculo 4. vbi ait, Christum meruisse Angelis præmium essentiale: & aliquot alij recentiores. Hi omnes tenent mysterium Incarnationis fuisse à Deo prædestinatum antè omnem præuisionem peccati; ac proinde absque vllâ dependentiâ à peccato: quare futurum fuisse; etiamsi nullum peccatum intercessisset. Sed hanc prædestinationem variè explicant. Primò, Scotus dist. 9. vult Deum in primo instanti seu signo rationis; intelligere se sub ratione summi boni in secundo, omnes alias creaturas, nempe possibiles: in tertio, prædestinasse absolutâ voluntate omnes saluandos ad gloriam & gratiam; & inter ceteros animam Christi prædestinasse ad excellentissimum gradum gloriæ & gratiæ, quem modò habet: in quarto, ordinasse animam illam ad vnionem hypostaticam. Ita apertè docet dist. 7. quæst. 3. & 4. quamuis dist. 19. id prætermittat: in quinto, præuidisse lapsum generis humani in Adam: in sexto, præordinasse Christum in Redemptorem per carnem passibilem.

*Series præ-
destinatio-
nis Christi.*

*1. iuxta
Scotum.*

Impugnatio.

*2. iuxta
Caterinū.*

*3. iuxta
quosdam
recentiores.*

Sed hæc non videntur solida: Primò, Quia electio efficax ad gloriam, non antecedit omnem præuisionem meritorum: quod tamen supponit Scotus. Secundò, Quia vult prædestinationem hominum factam, antè præuisionem peccatum originale; quod est contra D. Augustinum & alios Patres. Tertio, Quia Anima Christi considerata ante vnionem hypostaticam, vt eam considerat Scotus in tertio signo rationis, non est persona, sed natura apta personari: naturæ autem non conuenit propriè prædestinari ad gloriam, sed personæ. Quarto, Quia anima Christi non fuit ordinata ad vnionem hypostaticam propter excellentiam gloriæ suæ; sed potius contra fuit ordinata ad tantam gloriam, propter vnionem hypostaticam; vnde hæc prior fuit in intentione Dei.

Secundò, Alij, inter quos Caterinus, dicunt Deum ante omnem præuisionem futurorum, post solam simplicem intelligentiam, eum vellet suam bonitatem communicare creaturis, ordinasse primò, vt Filius assumeret naturam humanam hypostaticè, & in eâ tantâ gratiâ & gloriâ ornaretur. Secundò, Propter honorem illius hominis, prædestinasse homines & Angelos. Tertio, Propter prædestinatos, præordinasse cetera omnia, cum voluntate permittendi peccatum. In quarto, Præuidisse peccatum. In quinto, Præordinasse Christum in carne passibili, vt Redemptorem generis humani.

Tertio denique, Alij dicunt Deum primò omnium non voluisse aliquod opus particulare, sed primaria intentione voluisse condere vniuersum, in quo seipsum perfectè manifestaret & communicaret; & ideo voluisse illud constare ex omnibus rerum gradibus & ordinibus; nempe ex corporali & spiritali: item ex gradu nature, gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostaticæ; ita tamen vt inferiores ordinarentur ad superiores, & superiores perficerent inferiores; ac proinde simul ordinauit, vt in toto vniuerso, omnium caput & omnium finis, esset Christus. 2. Voluisse permittere peccatum. 3. Præuidisse hominum peccatum. 4. Præordinasse Christum in carne passibili in redemptorem. Hæc sententia sic explicata iuxta hunc tertium modum, est probabilis.

39

Alterâ tamen, Deum non futurum hominem

fi Adam non peccasset, videtur probabilior. Te-
net eam D. Thomas hoc loco, & lib. 4. contra
gentes cap. 55. eiusque sectatores Ioan. Capreo-
lus, Caietanus, Ferraricnsis &c. D. Bonauentura
in 3. dist. 1. art. 2. q. 2. vbi dicit hanc esse magis
consentaneam Scripturis, etiamsi altera fit subti-
lior, & humanæ rationi magis conformis. Mar-
tilius in 3. quæst. 1. art. 3. Richardus in 3. dist.
1. q. 4. Thomas Argentinens. ibidem art. 4. &
alij plerique.

Vide hanc quæstionem ex professo tractatam in lib. de
Gratia & Prædestinatione in disputatione vltimâ.

Probatur Primò ex Scripturis; quia Scripture
vbique Incarnationis causam indicant fuisse ho-
minum redemptionem, nec alterius meminerunt:
adeò vt lectorem alia opinione non imbutum, di-
rectè in hanc sententiam impellant. Patet Luc. 19.
v. 10. Venit Filius hominis querere & saluum facere
quod perierat. Idem habemus Matth. 18. Ioan. 3.
vers. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum
vniuersum daret; vt omnis qui credit in illum non
pereat: vbi dilectionem qua Deus mundum dile-
xit, non constituit in eo, quod voluerit mundum
constare omnibus gradibus, & ideo filium dare;
sed in eo, quod voluerit filium dare, ne pecca-
mus. Ioan. 10. vers. 10. Ego veni vt vitam habeant, &
abundantiùs habeant. Ad Gallat. 4. vers. 4. Misit
Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege,
vt eos qui sub lege erant, redimeret. 1. ad Timoth. 1.
vers. 15. Christus Iesus venit in hunc mundum
peccatores saluos facere. Ex quibus locis desumpta
sunt verba Symboli: Qui propter nos homines, &
propter nostram salutem, descendit de cælis. &c. Ex
quibus sequitur, nostram salutem non solum fuisse
causam cur acceperit carnem passibilem; sed
absolutè cur descenderet, & incarnatus sit. Con-
firmatur ex Parabolis, quibus id ipsum insinua-
tur. Marci 12. ex Parabola vineæ, vbi dicitur
quòd Paterfamilias postquam Agricole occide-
rant seruos, quos ad ipsos miserat; etiam miserit
ad ipsos filium, dicens: Fortè verebuntur Filium
meum. Vbi indicat se missurum non fuisse, si pec-
catum non fuisset. Luc. 15. ex Parabola centum
ouium: sicut Pastor ille non reliquisset vquam
illas nonaginta nouem in deserto, nisi vna ouis
aberrasset; ita filius numquam de cælis ad nos
descendisset, nisi tamquam ouis aberrasset per
peccatum.

Probatur Secundò: Ex Patribus, quorum
modus loquendi talis est, vt vix reliquant libe-
rum, vel semel suspicari contrarium. Ex Græcis,
Dionysius Areop. cap. 4. cælestis hierarchiæ, di-
cit Christum venisse in ordine nuntiantis siue An-
geli, hoc est, venisse ad nos, tanquam nuntium cæ-
lestium mandatorum, ob nimiam charitatem
suam, summè necessariam nostræ salutis; & ad im-
plendum suæ pietatis opus: scilicet ad nos redimendum:
Alterius autem causæ non meminit.

Athanasius ferm. 3. contra Arianos: Neces-
sitas indigentiaque hominis, prior est quam eius nati-
uitas; qua sublata, carnem non induisset. Et infra:
Ceterum vt feret homo, numquam destinatum fuisset,
nisi hominum necessitas id postulasset. Et lib. de In-
carnat. Verbi. Inter cetera ait: Vt scias ex causâ
nostrâ, aduenisse ad nos occasionem rationemque fuisse;
nostramque prauaricationem accessisse Verbi clemen-
tiam, vt ad nos descenderet, & appareret inter homi-
nes Deus.

Gregorius,

Gregorius Nazianzenus oratione 4. de Theologia: *Qua causa fuit, inquit, natura humana, quam nostri gratia subiit: nomen nostra salus? Quid enim aliud dicemus?*

Cyrellus Alexand. lib. 5. Thefauri cap. 8. seu ultimo: *Sciebat Deus mortales nos futuros per peccatum, atque ideo ex misericordia sua ante saecula constituit, ut Verbum suum fieret homo, renouaretque hominem in seipso. Vbi docet, Incarnationem esse praedeterminatam ante saecula, post praevisionem peccatorum: vide totum illud caput.*

ex Patribus Latinis.

Idem probatur ex Patribus Latinis. Irenaeus lib. 5. contra haereticos paulo ante medium: *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei, caro factum esset: & si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam sanguine habuisset Dominus. Et infra: Si autem ob aliam quandam dispositionem Incarnatus est Deus, &c. non ergo in semetipso recapitulatus est hominem.*

Ambrosius lib. de Dominice Incarnationis Sacramento c. 6. *Qua erat causa Incarnationis, nisi ut caro, qua per se peccaverat, per se redimeretur?*

August. serm. 8. de verbis Apost. ex illo Lucae 19. *Venit Filius hominis querere &c. infert: Ergo si homo non peccasset, Filius hominis non venisset. Et serm. 9. Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi ut peccatores saluos faceret. Et in illud Psalm. 68. Infixus sum in limo profundi: Deus quoniam naturam humanam suscepit, in limbo infixus est: si homo maneret in eo quod fecit Deus, non in limbo infixus esset, quem genuit Deus.*

D. Leo serm. 3. de Pentecoste circa initium: *Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in sua honore natura mansisset; nec diabolica fraude deceptus, a lege sibi proposita per concupiscentiam deviasset; Creator mundi, creatura non fieret.*

Greg. l. 4. Commen. in 1. Reg. c. 1. *Nisi, inquit, Adam peccasset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret: non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam: si ergo pro peccatoribus venit; si peccata desissent, eum venire non oporteret.*

Denique alij Patres qui ex professo hac de re tractant, nullam aliam causam reddunt, nisi hominum redemptionem & salutem. Vide Basilium & Gregorium Nicenum oratione de Natiuitate. Cyrillum Hierosolymit. catechesi 6. Theodoretum in epitome diuinorum decretorum cap. de Incarnat. Damascenum lib. 4. de fide c. 4. Anselmum libris duobus, *Cur Deus homo.* Vnde illa sententia D. Augustini: *Cur Deus homo, si non corrigitur homo? Et sane, mirum esset, si alius finis proximus principalior & primario intentus fuisset, Deum illum haecenus hominibus non patefecisse: & Sanctos Patres vel ignorasse, vel saltem silentio inuoluisse; praesertim cum ille finis videatur magno opere ad Christi dignitatem pertinere. His adde, primum inuentorem huius sententiae (quod sciam) fuisse Rupertum, qui etiam alia quaedam parum solida primus excogitauit.*

41
Probatur
Rationibus

Probatur Tertiò Rationibus. Primò, Ratione Caietani: *Tres, inquit, sunt ordines rerum, scilicet ordo naturae, gratiae & vnionis hypostaticae: primus est fundamentum secundi, nam natura supponitur gratiae: & secundus tertij, nam gratia supponitur hypostaticae vnioni. Quò fit, ut omnia qua pertinent ad ordinem naturae per vniuersam tempus, prius cadant sub scientiam diuinam, quam ea qua ad alios ordines pertinent: atqui peccatum pertinet ad ordinem naturae: ergo necesse fuit illud praescribi ante praecognitam vel praesentiam vnionem hypostaticam: & consequenter vnio hypostatica non erat futura, nisi praesesset peccatum.* Sed haec videntur parum solida: Primò, Quia si agat Caietanus de scientia vnionis, sic videntur prius ea, quae prius in re fiunt; siue ad ordinem naturae, siue ad ordinem gratiae pertineant; v. g. prius praevideatur baptismus Petri, quam peccatum commissum post baptismum; quamvis hoc ad ordinem naturae, illud ad ordinem gratiae pertineat. Si autem loquitur de simplici scientia, sic prius praevidentur ea, quae non supponunt aliud; v. g. prius praevideatur vnio hypostatica in Christo, quae ad tertium ordinem pertinet, quam peccata crucifigentium, quae ad primum ordinem secundum Caietanum: Et prius praevideatur dignitas Christi, pertinens ad tertium ordinem; quam dignitas Matris, quae ad secundum. Ratio deceptionis Caietani fuit. Primò, quia permiscet ordinem intentionis cum ordine executionis; qui tamen sunt maximè distincti: licet enim natura sit fundamentum gratiae in ordine executionis, gratia tamen est fundamentum naturae in ordine intentionis; quia est finis; vnde non necessario praevideatur posterius. Secundò, quia confundit scientiam vnionis, & simplicis intelligentiae: haec enim non supponit decretum liberum diuinæ voluntatis, sicut illa: licet enim simplici intelligentia non possit intelligi gratia ante naturam; tamen quia voluntas liberè incipit, vel ab vnione hypostatica, vel à gratia; ideo scientia vnionis haec possunt simul praevideri. Tertiò, quia putat hos ordines esse omnino distinctos, ut cadunt in diuinam scientiam & voluntatem; cum tamè sint permixti: ea enim quae pertinent ad ordinem naturae, disponuntur à Deo ut expedit ad ordinem gratiae. Quarto & ultimo, quia est in vno individuo natura supponitur gratiae, non tamè omnia pertinentia ad ordinem naturae, sunt prius in scientia Dei, quam omnia quae pertinent ad ordinem gratiae, vel vnionis hypostaticae: vnde quòd Deus praedestinaverit vnionem hypostaticam post praevisionem peccati, non est factum ex necessario ordine, ut vult argumentum Caietani; sed ex mera Dei libertate.

Argumētū
Caietani
de triplici
ordine.

Vnde aliter probatur Primò, Ex signis: omnia enim quae in hoc mysterio seruata sunt, insinuant illud primario fuisse institutum propter hominum salutem: ideo enim potius humana natura videtur assumpta, quam Angelica; ideo tali tempore, & loco potius, quam aliàs, vel alio; ideo corpus passibile; ideo omnia in vita egit & pertulit. Nullum autem signum cernitur in ijs, quae circa illum gesta sunt, quo indicetur illum ob alium finem magis principalem venisse.

Secundò, Quia hoc pacto magis ostenditur eius erga nos charitas, quòd non tantum conditionem corporis nostrae causà mutarit, ut vult altera sententia; sed absolute corporis substantia assumplerit. Si enim naturam humanam assumpturus fuisset, etiam homine non peccante; certè non propter nos illam assumpsit; sed solum conditionem & qualitatem eius, ad tempus mutauit: atqui plus est Deum absolute fieri hominem; quam Deum factum hominem, fieri passibilem & pati.

Tertiò, Quia vix còuenienter explicari potest, qualis venisset; corpore glorioso, an sine gloria: si uenientia glorioso; quomodo fuisset conceptus in utero, & corporis sentina creuisset? cum hoc repugnet corpori glorioso, quòd est impassibile. Item, quomodo meruisset, cum non fuisset viator? Quòd si non gloriosus

42
1. Ex signis

2. Commendatur Dei charitas erga hominem lapsu.

3. Ab incòuenientia corporis assumenda.

rius venisset, sed sicut Adâ in statu innocentia; ergo similibus necessitatibus fuisset subiectus; vt cibi, potus, quietis, excretionis, &c. quæ non videntur debuisse assumi ob perfectionem vniuersi, sed solum ad exemplum & satisfactionem. Item, an corpus eius ex ipsâ materie particulis, à Spiritu S. conflandû fuisset, quibus modò conflatum est? videtur enim quod non ipsâ; quia in statu innocentie longè alia fuisset ratio victus; vnde nõ eundem sanguinem B. Virgo habere potuisset, nec Christus idem corpus: nili quis dicat Deum infinitas materie particulis, ex quibus modò constitutum est Christi corpus, tunc etiam selecturum fuisse ex vniuersis mundi elementis, & congregaturum in B. Virginis sanguinem: quod naturis rerum non est consentaneum, & sine ingenti miraculo fieri nequiuisset. Sed contrâ

43
Obiectio-
nes ex Scri-
ptura.
1. Ex Pro-
uerb. 8.

Obijetur Primò, Ex Scripturis. Primus locus ex Prouer. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.* Vbi Septuaginta vertunt: *Dominus creauit me, & Christus;* & ita legunt passim Græci Patres; quâuis fortasse Septuaginta scripserint *ἐχρησε*, id est, *possedit à χρόνω.* Ex hoc loco sic arguētantur: hic loquitur de seipsâ Sapientia incarnata, id est, Christus Dominus, vt docet Clemens Romanus l. 5. const. Apost. c. 19. Cypri. l. 2. testimon. contra Iudæos c. 1. Athanasius serm. 3. contra Arianos. August. l. 1. de Trinit. c. 12. atqui nõ est hic sermo de creatione externâ cæli & terræ; quia Christus non est creatus, id est, incarnatus antequam terra fieret; sed de præordinatione creationis in mente diuinâ: ergo sensus est, Sapientiam incarnatam seu Christum, fuisse creatam, in præordinatione diuinâ; id est, præordinatâ à Deo, ante præordinationem cæli & terræ; ac proinde ante præuisionem peccati: nã præuisionem peccati fuit. posterior præordinationem mundi: ergo etiam si peccatum postea non fuisset factum, tamè Sapientia diuina ex vi huius decreti fuisset incarnata. Confirmatur, quia dicit *se ordinatam ab æterno antequam terra fieret*; sed hoc non potest intelligi tantummodò antequam terra fieret re ipsa externis: nã sic omnia fuerunt præordinata antequam terra fieret; ac proinde nihil singulare diceretur de Sapientia incarnatâ: ergo intelligitur antequam terra fieret in diuinâ ordinatione.

Explicatur
locus Pro-
uerb. 8.

Respondeo, Sensum litteralem esse, *Dominus possedit me*, id est, generauit me; seu quod idem est, *acquisiuit me ab æterno.* Nam Hebraicè est verbum *Cana*, non *bara*, id est, possedit, acquisiuit; sicut Genes. 4. v. 1. *Eua cum genuisset Cain, dicebat: Possedi hominem per Deum*, id est, acquisiui, genui diuino munere. Loquitur enim Sapientia æterna secundum diuinitatem. Ita Hieronymus epist. ad Cyprian. tom. 3. & Basilius l. 2. contra Eunomiû. Alij dicunt sensum litteralem esse, de Sapientia in genere; quatenus abstrahit à creatâ & increatâ: cui per prosopopeiam tribuitur sermo. Ita Iansenius intelligit. Et iuxta hos sensus nihil sequitur contra nos.

Quòd si velimus intelligere de Sapientia incarnata, sicut multi Patres propter versionem Septuaginta, & argumenta Arianorum ex illâ versione petita, intelligunt; sensus est, Christum esse prædestinatum seu præordinatum ante externâ mundi constitutionem, ab æterno; non ante constitutionem mundi in mente diuinâ: quod patet ex se-

quentibus; Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: Necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes graui mole constiterant; quando præparabat celos aderam; quando certâ lege & gyro vallabat abyssos. Quibus verbis, vt ait, Cyrillus l. 5. Theauri c. 8. significatur creaturarum ex nihilo ad esse productio. Et confirmatur, quia si Christus fuisset præordinatus, ante præordinationem mundi; debuisse venire etiam si mundus numquam fuisset. Confirmatur Secundo, ex similibus Scripturæ locis; Apostolus enim passim docet Christum & nos prædestinatos, electos &c. *Ante tempora secularia, ante mundi constitutionem*: vt ad Ephes. 1. v. 4. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* 1. Corinth. 2. v. 7. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est, quæ prædestinata Deus ante secula.* Vbi non tantum mysterium Incarnationis, sed etiam Passionis, Crucis, Mortis, totamque œconomiam salutis nostræ, dicit ante secula præordinatam. Denique 2. ad Timoth. 1. v. 9. dicit *Nos liberatos secundum gratiam, quæ data est nobis in Christo IESU ante tempora secularia*: at liberatio præsupponit peccatum: ergo peccatû fuit præuisionem.

Dices: Ergo nihil ibi singulare dicitur de mysterio Incarnationis; quia omnia sic sunt præordinata. Respondeo, non omnia sic esse præordinata in particulari; vt patet de ijs quæ ex causis naturalibus proueniunt. Significat autem Scriptura tali modo loquendi, illud non pendere ex causis creatis; sed ex singulari Dei sapientiâ, bonitate, & prouidentia; Deoque id præcipuo quodam modo curæ fuisse.

44
2. Ex Ioan.

Secundus locus ex Ioannis 17. v. 5. *Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret.* Hic petit Christus gloriâ & claritatē: atqui non petit gloriâ diuinitatis; quia hac numquam caruit: ergo humanitatis, quam in diuinâ præordinatione habebat ante mundum conditum.

Explicatur
1. v.

Respondeo; Christum ibi petere manifestare hominibus gloriâ diuinitatis, quam habuerat, etiam ante mundi constitutionem; id est, ab æterno: vt videlicet homines cognoscerent, eum esse verum & naturalem Filium Dei. Vnde subdit: *Vt Filius tuus clarificet te*, scilicet apud homines. Ita exponit Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, & alij passim.

45
3. Ex epist.
ad Coloss.

Tertius locus, ad Coloss. 1. v. 15. vbi Christus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ.* Et confirmatur ex Concilio Sardicensi epistola ad omnes Episcopos; vbi Christus vt *Verbum, dicitur vnigenitus, vt homo, primogenitus.* Citant aduersarij etiâ Glossam, Anselmum, Hieronymum, Cyrillum. Et confirmant ex eo quod Apostolus dicat, *In ipso esse condita vniuersa; & esse caput corporis Ecclesia*; tandem concludens: *Vt sit ipse in omnibus primatus tenens*: ergo Christus vt homo est primogenitus omnis creaturæ; id est, prædestinatus est ante prædestinationem creaturarum.

Quomodo
Christus
sit primo-
genitus
omnis crea-
turæ, se-
cundum
diuinitatem.

Respondeo; Christum nõ dici primogenitum omnis creaturæ, quasi secundum humanam naturâ præordinatus sit ante omnis creaturæ præordinationem: hoc enim impropijsimè diceretur; & nemini veterum, (quod sciam) in mentem venit. Probat enim Apostolus eum primogenitum omnis creaturæ, *Quia omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & omnia in ipso consistunt*, id est, conseruantur. Non potuerunt autem omnia creari, aut conseruari per Christum

Christum hominem, existentem solum in diuina praerogatione. Vnde satis patet Apostoli loqui de Christo secundum diuinitatem: volens enim explicare excellentiam eius, per quem reconciliati sumus, dicit eum esse *Imaginem Dei inuisibilis, primogenitum omnis creaturae*, id est, genitum à Patre re ipsa secundum diuinitatem, ante omnem creaturam: quod probat, *Quia per ipsum, & in ipso, omnia sunt creata*. Deinde, addit excellentiam quae ei conuenit ratione humanitatis; nempe, quod *scilicet Caput Ecclesiae, primogenitus ex mortuis*, &c. vt sit ipse in omnibus principatum tenens, id est, vt sit ipse ante omnes, tam in genesi, id est, ortu reru, quàm in *καταγγελλία*, id est, regeneratione. Nam secundum Deitatem, est ante omnem ortum rerum, & est principium ortus: humanitate verò, est ante regenerationem; quia primò regeneratus est, & est auctor regenerationis in ceteris. Quòd si quis velit hunc locum intelligere secundum naturam humanam, cum Anselmo, & quibusdam alijs; sic dicitur *Primogenitus omnis creaturae*, quia est dilectus & honoratus supra omnem creaturam; sicut primogenitus supra reliquos diligitur. Ansel. ait: *Sicut primogenitus omnium fratru, dignitatis obtinet primatum; ita Christi humanitas primatum obtinet inter omnes creaturas*. Cyrill. lib. 10. Theauri c. 3. dicit vocari *Primogenitum omnis creaturae secundum naturam humanam; quia omnes homines per ipsum dignitatem filiorum adepti sunt*. Commentarius qui tribuitur Hieronymo, dicitur, inquit, *primogenitus omnis creaturae secundum assumpti hominis formam, non tempore, sed honore; iuxta illud: filius meus primogenitus Israël*. Concil. Sardicense praeter propositum adducitur; quia solum dicit esse primogenitum ex mortuis. Aduerte, hosce Patres videri impulsos ad interpretandum hunc locum, secundum naturam humanam vi nominis *primogeniti*, quo significari videtur adhuc alios sequi filios: sed sciendum, phrasi Hebraea primogenitum vocari, ante quem non est alius, siue post illum sequantur alij filij, siue non: patet tum alijs locis, tum Lucae 2: v. 7. *Peperit filium suum primogenitum*.

Quomodo secundum humanitatem.

Primogenitus quis dicitur.

46 Ex epist. ad Hebraeos

Explicatur.

47 Obiectio nes ex Patribus. 1. Ex Iren.

Explicatur.

non de obiectiua in praedestinatione diuina. Vide cap. 20. & 22. eiusdem Authoris.

Secundò, Ex Aug. l. de nuptijs & concupiscentia c. 21. vbi ait, *Coniugium etiam in statu innocentiae, si homo non peccasset, futurum Sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia*. Respondeo, Matrimonium nunc duplicis coniunctionis est Sacramentum, id est, sacrum signum; scilicet coniunctionis Christi cum Ecclesia per vnionem hypostaticam; & coniunctionis Christi cum Ecclesia per fidem & charitatem. In statu innocentiae, tantummodò fuisset Sacramentum coniunctionis Christi cum Ecclesia per fidem & charitatem. Neque mirum, quia haec signa non sunt naturalia, sed ex diuina institutione: vnde pro varietate status, possunt plura aut pauciora significare.

48 Ex Aug.

Explicatur.

Matrimonium significat duplicem coniunctionem Christi cum Ecclesia.

Tertiò, Ex Cyrillo l. 5. Theauri c. 8. vbi dicit, *Christum ante nos praefundatum* (id est, tamquam fundamentum salutis humanae ab aeterno constitutum) vt in ipso omnes saluemur. Respondeo, Cyrillum toto illo capite apertè à nobis stare: explicatur enim locum illum Prouerbiorum *Dominus possedit me &c.* & legit ex version. LXX. *Dominus fundauit me initium viaru suaru ad opera sua: & sensum esse dicit, Dominus fecit me*, scilicet Christum Deum & hominem fundamentum salutis humanae, cui per fide homines debent superaedificari. Deinde querit Cyrillus quomodo Deus fecerit Christum fundamentum ab aeterno, sicut Scriptura indicat, cum Incarnatio facta sit in tempore? Respondet, quia Deus prauiuso peccato, illum ab aeterno constituit facere fundamentum. Vbi apertè docet Christi Incarnationem non esse praedeterminatam ante prauiusum peccatum; sed hoc esse causam, cur eam praedeterminarit. Dicit autè *Christum ante nos praefundatum*; id est, ante nos conditos praedeterminatum fundamentum salutis; non tamen ante prauiusum peccatum, vel ante praedeterminatos homines in mente diuina. Quod etiam patet exemplo architecti, qui firmum fundamentum sui operis statuit, vt possit instaurari cum ceciderit. Omitto alia testimonia quòd sint facilia.

49 Ex Cyril.

Explicatur.

13

Tertiò obijciunt rationes: 1. Adamo fuit reuelatum istud mysterium in statu innocentiae; vt docent multi Patres: ergo istud mysterium fuit praedeterminatum ante peccatum prauiusum. Patet consequentia, quia ante prauiusum peccatum fuit prauiusa ecclasiadae, & reuelatio quam habuit in ecclasiada; quia id prius est prauiusum, quod prius est ordine temporis in rebus: ergo ante prauiusum peccatum, fuit etià praedeterminata res reuelata; scilicet ipsa Incarnatio. Deinde si Adamo fuit reuelatum istud mysterium ante peccatum: ergo Christus tunc fuit illi propositus vt fons gratiae & principium salutis; alioqui cur fuisset illi reuelatus? Simile argumentum faciunt de Angelis. Respondeo, Et si non sit necesse, vt id quod tempore prius est, sit prius in prauiusione; cum fieri possit vt nullam inter se dependentiam habeant: concedo tamen mysterium Incarnationis fuisse praedeterminatum ante prauiusionem absolutam intuitum peccati; quia Deus prauidet futura sicuti fiunt re ipsa cum omnibus circumstantijs: non tamen fuit praedeterminatum ante prauiusionem conditionatam; nec etiam ante absolutam, quasi abstractiuam, quam Deus habet, praecise accedente voluntate permittendi ad scientiam conditionatam. Pro quo

Obiectio nes ex ratione.

1. Quod hoc mysterium sit reuelatum Adamo.

Soluitur.

Notandum, Deum tripliciter praescire futura, 1. praescientia conditionata, 2. absolutam quasi abstractiuam: nempe quando ad praescientiam conditionatam,

Dans ipsi praecise praescire futura.

tionatam, accedit præordinatio & permissio; tunc enim in sua præordinatione vel permissione præuiderem futuram quasi abstractè à circumstantijs. Tertia est absoluta intuitiua, quæ fertur in res ipsas, uti fiunt in tempore cum omnibus circumstantijs. Christus ergo fuit prædestinatus ante præscientiam peccati intuitiuam; non tamè ante præscientiam absolutam abstractiuam eiusdem peccati, sed simul. Nam hoc ipso quo Deus voluit creare hos Angelos, & hos homines; & permittere Adamum sic tentari; præiudicium illi peccatum: & simul præordinauit Christum in remediū. Ad confirmationem; Christus propositus fuit Adamo, tamquā caput in genere; non autem tamquā causa totius salutis: poterat enim esse caput omnium, etiam si ab illo gratiam nō haberent: sicuti modo re ipsa est caput Angelorum, etiam secundum naturam humanam, quamuis ipsi ex eius meritis gratiam non habuerint. Modus autem particularis, quo futurus erat caput hominum, non fuit Adamo tunc reuelatus: sicut neque utrū venturus in carne passibili, an impassibili.

Secunda ratio: Prædestinatio Christi est causa exemplaris, & quodāmodo finalis, prædestinationis omnium hominum; ut colligitur ex c. 8. v. 29; ad Rom. Qui prædestinavit nos conformes fieri imaginis Filij sui: sed prædestinatio hominum, saltem Adami, facta est ante præuisionem peccati: ergo & prædestinatio Christi. Confirmatur, Quia Conc. Trid. sess. 6. c. 7. dicit finem nostræ iustificationis esse gloriam Dei, & Christi: ergo prius est volita gloria Christi, quā nostra iustificatio.

Respondeo, Admitto Christi prædestinationem esse causam exemplarem nostrā: nego tamen Adamum esse prædestinatum ante præuisionem peccati: omnium enim hominum prædestinatio facta est post præuisionem peccati, saltem quoad posteriora media; ut multis locis docet D. Augustinus.

Ad confirmationem: potuit Deus Christum præordinare ad nostram salutem; & simul nostrā salutem ad Christi ipsius honorem: sicut Rex potest instituere aliquem gubernatorem, ut bene administraretur prouincia; & simul velle, ut salus prouinciæ cedat in ipsius honorem. Nam duplex est finis; nempe qui intenditur, & cui intenditur: & hi, vicissim sibi possunt esse causæ finales. V. g. potentia sunt propter operationes; tamquam ob finem qui intenditur; ipse verò operationes; sunt propter potentias; scilicet ut eas perficiant.

Tertia ratio: Gloria animæ Christi, est maioris dignitatis, magisque Deo dilecta, quā gloria omnium hominum & Angelorum simul; ut sentit D. Thom. 1. parte quæst. 20. art. 4. ad 1. ergo verisimile est hanc gloriam esse magis per se volitam à Deo, quā gloriam Angelorum & hominum: imò, ob Christi gloriam reliqua potius esse volita; quā hanc, propter homines.

Respondeo; Admitto gloriam animæ Christi esse præstantiorem ceteris omnibus: non tamen idcirco debet illā Deus præordinare ante præuisionem peccati propter seipsam: Primò, Quia Deus omnino liberè vult & amat omnem excellentiam creaturæ; vnde, nec semper maiorem excellentiam magis vult: nimirum ut hac ratione ostendat se nullā perfectione creatā egere, seque sibi infinite sufficientem esse. Vnde, non sequitur ipsum debuisse gloriam Christi propter seipsam velle, nullo supposito peccato: alioquin etiam, hoc vniuerso de-

debuisset aliud perfectius condere, idque sine termino. Secundò, Etsi maximā adferret excellentiam creaturæ, & toti vniuerso, quod Deus sit homo: hoc tamen non erat Deo propter se appetendum, aut etiam propter vniuersi perfectionem. Nam, fieri creaturam, maximè humanā, est humiliatio quædam, & veluti miseria ipsius Dei: vnde ab Apostolo ad Philip. 2. v. 7. dicitur, *Deus se exinaniuit & humiliasse, cum formam serui accepit*; quare non videtur absolute conueniens, ut Deus fieret homo, nisi aliqua maior necessitas urgeret; videlicet ad auferendam nostram miseriam, & ad satisfaciendum diuinæ iustitiæ; ut hac ratione ostenderet infinitam misericordiam suam, & iustitiam, quæ nullo alio modo, tam eximie poterat demonstrari. Quòd si ob vniuersi perfectionem factus esset homo, non ita eluceret ista misericordia & iustitia, imò neque ipsa Dei eminentia; nam quodammodo in creaturarum ordinem redactus videretur.

Dices: Art. 1. ostensum est hoc mysteriū fuisse per se valde conueniens diuinæ bonitati: ergo sepositā redemptionem hominum debuisset etiam à Deo præordinari.

Respondeo; Potest esse vnā ratione valde conueniens, & ex aliā parte habere incōmoda maioris momenti. Sicut valde conueniens est, liberalitate regis omnes pauperes alii; sed ex alterā parte possunt sequi incōmoda, ob quæ absolute non expedit. Ita etiam conueniens est per se diuinæ bonitati, ut se summo modo creaturæ communicet; sed ex alterā parte, erat quodammodo inconueniens; quia sequebatur humiliatio summæ maiestatis, quæ non debebat fieri, nisi ob necessitatem altioris ordinis; cui alio modo nō tam conuenienter poterat occurrere. Qua necessitate positā, reliquæ conuenientiæ & utilitates locum habebant.

Quarta ratio ex Scoto: Ordinatè volens, primò vult id, quod est propinquius fini: atqui finis Dei in creaturis, est ostensio & communicatio suæ bonitatis, cui fini propinquius medium est incarnatio: nam in hac, maximè communicat & ostendit suam bonitatem: ergo hæc debebat esse primò volita. Confirmatur, quia si ex occasione peccati volita est; est quasi bonum occasionatum, & per accidens introductum.

Respondeo; Non semper est expetendū, quod fini est propinquius, quando illud habet aliquod incōmodum. Deinde, id quod vnā ratione est propinquius, aliā non est propinquius: vnde illa propositio vera non est; nisi de eo, quod est propinquius fini secundū modum & mensurā, quam intendit principale agens. Ad confirmationem: si bonum occasionatum intelligis aliquid præ intentionem Dei conueniens, sic Incarnatio non fuit bonum occasionatum; nam fuit ab æterno præordinata. Si autem intelligis, aliquid ordinatum occasione alterius, cōcedo incarnationem esse ordinatam occasione peccati: non tamen ideo per accidens vel occasionaliter euenit; quia ex intentione diuinā euenit. Adde, si hæc ratio valeret, non potuisset sapienter præordinari hoc mysterium in remediū peccati; quod nemo dixit.

Quinta ratio: Non minùs decuit ut homines & Angeli haberent merita perfectæ iustitiæ; quā ut haberent satisfactionem perfectæ iustitiæ; atqui Christus venit ut nostra satisfactio esset perfectissima: ergo etiam venisset ut merita essent secundum perfectam iustitiam. Nam perfectius est assequi

Incarnatio est quædam Dei humiliatio.

Incarnatio facta est, non quia regis omnes pauperes alii; sed quia diuina bonitati conueniens, sed magis ob humanam necessitatem.

33
4. Obiect. Scoti.

Non semper eligendum, quod fini est propinquius.

Quomodo incarnatio sit bonum occasionatum.

54
5. Obiect.

51
2. Obiect.

Solutio.

Christus est propter homines, & homines propter Christum.

52
3. Obiect.

Solutio.

sequi gloriam secundum exactam iustitiam, quam secundum imperfectam.

Soluitur.

Merita non debent esse secundum perfectam iustitiam, uti satisfactio

Respondeo; Est dispar ratio: nam meritum requiritur ut nos habeamus ius ad gloriam: satisfactio autem, ut Deo honor restituatur. Magis autem pertinet, quam ut homo habeat perfectum ius ad gloriam: præsertim cum neque hominis conditio, neque mercedis ratio id postulet.

55
e. Obiecta.

Sexta ratio: Altera sententia magis videtur pertinere ad Christi gloriam: nam ita facit eum caput hominum & Angelorum, ut ex eius meritis etiam Angeli gratiam & gloriam consecuti sint. Deinde, facit eum absolute primum in ordine prædestinatorum, imò in ordine omnium, quæ à Deo ab æterno sunt præordinata. Denique, facit universum constans omnium rerum gradibus; videlicet gradu nature, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostatice; quod proinde perfectissime diuinam bonitatem participat; per, eamque representet.

Soluitur.

Non semper id à Deo facit, quod est à maiori gloria Christi.

Respondeo; Nô semper debet fieri id quod videtur ad maiorem gloriam humanitatis Christi, vel etiam diuinitatis pertinere; sed quod iuxta ordinem & mensuram à diuina sapientia præscriptam, & à diuina voluntate intentam, ad illam est conuenientius: nam omnia que exterius fiunt, secundum certam mensuram definita & intentata sunt.

D V B I V M.

Quomodo se habeat prædestinatio Christi respectu prædestinationis hominum & Angelorum?

56
Angeli & homines prius ratione à Deo ordinati sunt ad esse, quam ordinata sit incarnatio.

Respondeo & Dico Primò, Angeli & primi homines, secundum naturam & dona supernaturalia salutis sufficientia, fuerunt præordinati prius ratione, quam mysterium incarnationis. Docet hoc Caietan. art. 3. & ferè omnes qui tenent nostram sententiam, facileque colligitur ex supradictis testimonijs.

Conditio- nales que damus propositiones improbandas.

Probatur Primò, Quia illa erant absolute futura ex vi decreti diuini, etiam si incarnationis mysterium nõ fuisset futurum; quare independenter ab hoc mysterio decreta fuere. Hoc autem mysterium non fuit prædestinatum nisi dependenter à præuisione peccati; quod peccatum præsupponit Adamum & Angelos, à quibus Adam in culpam tractus fuit: ergo posterius ratione est decretum: illud enim decretum est ratione posterius in Deo; quod præsupponit aliud, & non supponitur ab eodem. Hinc sequitur non esse admittendas has propositiones conditionales: Si Adam non fuisset peccaturus, non fuisset creandus. Si demones non essent damnandi, non essent creandi. Si Christus non fuisset venturus, Adã non fuisset creandus. Ratio est; Nam creatio Adã fuit decreta à Deo omnino independenter à præuisione peccati ipsius, & Christi venturi. Similiter formatio Eux, hominumque procreatio. Itè creatio Angelorum fuit decreta sine dependentia à præuisione peccati, & damnationis ipsorum: etsi enim per præscientiam conditionatam sciret illos peccaturos, si crearet, & permetteret tentari, sicut tentati sunt; tamen in primo illo decreto quo voluit eos creare, non est habita ratio huius præscientiæ, sed solum boni illius, quod ex ipsorum creatione & iustitia originali elucebat.

Confirmatur; Quia alioqui fallã essent, quæ passim Doctores & Patres tradunt de statu inno-

centiæ: nempe si Adam non peccasset, cum semper victurum, prolem iustam generaturum; animantia illi morigerã futura. Si enim non fuisset creandus nisi præuifus fuisset peccaturus; certè eo non peccante, non potuissent hæc consequi, quæ supponunt ipsum iam esse creatum; quia non erat decretum à Deo, ut hæc fierent, eo non peccante; cum illorum sententiã decretum fuerit, ut non crearetur, si non peccaturus præuideretur; qui enim admittunt illum non fore creandum, si non fuisset peccaturus, etiam admittere debent hoc reipsa à Deo decretum fuisse: nam voluntas Dei perfectè est determinata, non solum ad ea quæ reipsa futura sunt; sed etiam ad omnia futura, & non futura, sub quauis hypothese seu conditione: alioqui circa infinita maneret suspensa; quod est imperfectionis.

Dico Secundò, Etsi Christus non sit prædestinatus ante præuisionem peccati; peccatum tamen non fuit absolute præuifum ante Christi prædestinationem: ita ut hæc simul fuerint, & in eodem signo rationis, cum mutua dependentiã.

Docet hoc Molina in sua concordia: & prior pars patet ex dictis dubio primo huius articuli.

Altera pars probatur; Quia valde credibile est Deum non fuisse permissurum peccatum Adami, per quod totum genus humanum corruit in exitium; nisi decreuisset opem ferre per filium: hoc enim maxime decebat ipsius misericordiam erga creaturam tam fragilem. Quorsum enim totius posteritatis voluntates & salutem in vnus arbitrio constituisset, nisi voluisset, aut non permittere illum labi, ut omnes salui manerent; aut nisi voluisset redimere, si permitteret labi? Quod confirmatur ex Diuo Augustino qui sæpe docet Deum adeò esse bonum, ut non sit permissurus mala, nisi inde vellet elicere bona. Vnde patet primò, voluntatem permissionis peccati, & prædestinationem Christi, absolute esse simul; nec alteram alterã priorẽ; cum mutua à seinuicem habeant dependentiam: nisi enim voluisset permittere peccatum, non voluisset Christum incarnari; & vicissim nisi voluisset Christum incarnari; non voluisset peccatum permittere. Patet Secundò, Verum non esse, quod quidam aiunt, Christum, quoad intentionem, esse prædestinatum ante præuifum peccatum; quoad executionem, post præuifum peccatum: hæc enim inter se pugnare, multis ostendi potest.

Voluntas permissio- nis peccati, & prædestinatio Christi, sunt simul in Deo.

Dico Tertio, Prædestinatio tamen Christi, prior est prædestinatione Adami, & ceterorũ hominum. Est ferè communis sententia Doctorum, quamuis non eodem modo ab omnibus explicetur.

58
Prædestinatio Christi, prior est prædestinatione hominum.

Probatur ad Ephes. 1. vers. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essent sancti & immaculati &c. Ad Rom. 8. v. 29. Quos præstitit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Ratio est; quia Christi prædestinatio est causa prædestinationis omnium hominum; ut indicant istę scripturæ: Nam omne donum salutare quo ducimur ad salutem, ex Christi merito prouenit; ac proinde ex eiusdem merito est nobis prædestinatum ergo omnis nostra prædestinatio supponit prædestinationem Christi: ipsius verò prædestinatio, non supponit nostram: ergo illa est prior nostrã.

B b iij Dices,

59

Dices; Deus destinauit homines in statu innocentiae ad salutem; per dona sufficientia supernaturalia, sine respectu ad Incarnationem Christi: ergo &c.

Quomodo dicuntur homines prædestinati ad salutem in statu innocentia.

Respondeo; Illa destinatio, non erat prædestinatio propriè dicta, de qua loquimur; sed ordinatio quædam prouidentiae supernaturalis, quæ per peccatum fuit intermixta & abrupta, ita ut effectum non habuerit. Sicut ordinatio Luciferi, & illi adhærentium, non erat vera prædestinatio. Nam prædestinatio, est ordinatio ad salutem, per media quæ reipsa sunt efficacia; id est, quæ effectum præstant. Talis autè ordinatio in hominibus præsupponit Christi Incarnationem; nam media per quæ saluamur, à Christo pendent; & consequenter voluntas conferendi hæc media supponit Christi Incarnationem.

60

Sed difficultas superest de prædestinatione Angelorum; sitne prior, an posterior Christi prædestinatione?

Respondeo & Dico Quarto, Si Angelis fuit reuelatum mysterium Incarnationis in statu viæ, tamquam necessariò ab illis credendum; Christi prædestinatio fuit prior eorum prædestinatione: Si autem non fuit reuelatum, neque prior fuit neque posterior.

Prior pars patet, Quia si illis propositum fuit mysterium Incarnationis explicite credendum (vt multi existimant:) ergo media quibus reipsa sunt consecuti salutem, horumque mediõrum præparatio in mente diuinâ, supponebant præordinationem Incarnationis Christi: præordinatio autem Christi, nõ supponebat eorum prædestinationem: ergo prædestinatio Christi est prior.

Angeli independentes à Christo sunt prædestinati.

Posterior pars probatur: Quia si illis non fuit hoc mysterium reuelatum, impertinens fuit ad illorum prædestinationem: ita vt illorum prædestinatio non supponat huius mysterij præordinationem, nec contrà: & hoc fortè est verius, magisque videtur consentaneum testimonijs Patrum supra allatis num. 40. Et insinuat Apostolus prioris ad Corinth. 2. v. 7. cum ait: *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quam nemo Principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, numquam Dominum glorie crucifixissent.* Vbi per Principes huius sæculi, intelligit non solum Pilatum & Herodè, & Principes Sacerdotum: (vt quidam volunt) sed maxime & imprimis dæmones; vt exponunt Cõmentarij Ambrosij, Haymonis, Anselmi, D. Thomæ, Caietani, & aliorum, idque optime probant Ambrosius & Caietanus. Vnde sequi videtur Angelis in viâ hoc mysterium non fuisse reuelatum; alioqui dæmones illud cognouissent. Neque vlla necessitas nos cogit Christi prædestinationem ponere primam, aut Christum ponere primum prædestinatorum, nisi inter homines; quorum prædestinationis ipse est causa.

61

Dices; Adamo est reuelatum hoc mysterium: ergo & Angelis. Antecedens probari potest testimonijs multorum Patrum. Et Confirmatur, quia peccatum Angelorum fuit appetitio vnionis hypostatice.

Respondeo, Admisso antecedente, quamuis non sit adeo certum, vt docet Molina 1. p. q. 57. a. 5. negatur consequentia; quia est peculiaris ratio in Adamo, cum ex eius semine Christus esset nasciturus, & ipsum cum totâ posteritate redempturus. Ad confirmationem; fortè verius est pec-

catum diaboli non fuisse appetitionem vnionis hypostatice; tum, quia id Patres non latuisset, cum non sit subtilitas metaphysica, sed mysterium maxime notabile: tum, quia fortè tunc Angeli non poterant concipere qualis esset homo; cum peccauerint primo die; homo autem fit conditus sexto. Itaque videtur verius, peccatum eius fuisse superbiam conceptam ex consideratione suæ pulchritudinis, & diuitiarum sapientiæ & potentiae; quæ superbia consistebat in eo, quòd iudicio præcõtico & voluntate ita se estimabat & ab alijs estimari volebat; ac si ea omnia à seipso, & non à Deo habuisset: quomodo superbi Reges consideratione suæ potentiae & diuitiarum, se efferebant. Quod potest confirmari ex c. 28. Ezechielis, vbi sub typo Regis Tyri describitur peccatum Luciferi. Et Isaia 14. vbi sub figurâ Nabuchodonosoris.

Quale fuerit peccatum Angelorum.

ARTICVLVS IV.

Verum principalius Christus Incarnatus fuerit propter peccatum originale, An actuale?

Respondeo & Dico Primo, Christus venit ad omnia peccata delenda: id est, ad exhibendum remedium sufficiens omnibus peccatis delendis. Est de fide ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum &c. nam iudicium ex vno, in condemnatione, gratia ex multis (id est ex omnibus) delictis, in iustificationem, &c. processit.* Primæ Ioannis 1. v. 7. *Sanguis IESV Christi emundat nos ab omni peccato.* Et c. 2. v. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum; sed etiam pro totius mundi.*

Christus venit ut tollat omnia peccata.

Ratio est; Quia Christus venit vt perfectus Redemptor & Saluator, qui nos in vitam æternam perduceret: ergo venit ad tollenda omnia impedimenta vitæ æternæ: atqui omnia peccata, non solum originale, sed & actualia, etiam venialia, sunt impedimenta salutis æternæ: ergo &c.

Dico Secundo, Si peccata actualia conferantur cum originali; principalius venit propter originale. Ita D. Thomas hoc loco, & clariùs in 3. dist. 1. qu. 1.

63 Principalis tamen ut tollat originale.

Probat; Quia Scripturæ cum agunt de Christi satisfactione, sæpè loquuntur de peccato in singulari numero; quasi velint insinuare esse aliquod radicale peccatum, ob quod potissimùm Dominus venerit. Patet hoc Ioan. 1. v. 29. *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum mundi.* Ita enim habent Codices Græci. Et præter Patres Græcos, ita legunt Irenæus lib. 3. contra hæreses c. 11. August. 1. 12. contra Faustum cap. 30. Cyprian. lib. de duplici Martyrio (quamuis certum sit hoc opusculum non esse Cypriani Martyris) & alij recentiores, vt Beda, Glossa &c. Ad Rom. 5. v. 15. *Non sicut delictum, ita & donum.* Qui locus vsque ad finem capitis expendendus est. Et 1. ad Cor. 15. v. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Quibus locis, inter se confert obedientiam meritumque Christi, & peccatum Adæ: insinuans hæc potissimum inter se opponi, & alterum per alterum tolli: Isaia 53. vers. 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.*

Ratio